

259

257

263

253

268

248

308

208

358

158

Ende

Anfang

248

infra urbem ad littus portuosum appulimus et navem stabilivimus,  
in littore autem erat fons, de quo attulerunt nobis aquam galeatae,  
et tota nocte praeciderunt ligna in galeam de nemore, quia mag-  
num defectum et lignorum et aquae habuimus.

Die quinta decima mane in portum Rhodianum venimus, et  
ut intellexerunt, qui essemus, licentiam dederunt nobis urbem in-  
grediendi, non enim ausae sunt naves passim portum illum ingredi,  
nisi amicae sint dominorum militum de Jerusalem Johannitarum,  
nec amici civitatem (160 a) ingredi permittuntur, nisi de spe-  
ciali licentia Magistri magni dominorum militum Jerosolymorum.  
De hoc ingressu vide P. I. Fol. 67.

### Insula famosa Rhodus describitur.

Rhodus insula nunc justo ordine venit describenda. Haec in  
Aegeo mari est sita, nongintorum stadiorum spatio continetur. Poetae  
hujus insulae antiquitatem et nobilitatem adstruentes fabulam con-  
finxerunt dicentes, auream pluviam ibi fusam fuisse, cum Pallas,  
quae alias Minerva dicitur, de Jovis capite nasceretur. Nam cum  
Jupiter cerneret, Junonem conjugem suam non ferentem filios, ne  
omnino absque germine esset, percuesso cerebro suo armatam  
misit Minervam cum dulcissimo coeli aurifluo imbre. Ferunt etiam  
hanc insulam consecratam ipsius Danae coelibatu, quae cum esset  
unica Acrisii, regis Argivorum, in responsis habuit, se manu ejus,  
qui ex filia nasceretur, moriturum, qui ad effugiendum mortem  
praenuntiatam filiam in hanc insulam Rhodum transtulit eamque  
vestalibus claustris tradidit. Erat autem formosa valde, quo comperto  
Jupiter, cum accessum alium non haberet ad inclusam, ver-  
sus in auri guttam ex tegulis in cellam virginis destillavit, quae  
cernens guitarum fulgorem dulcemque tinnitum labentis auri,  
accurrit et guttas sinu suo suscepit sicque praegnans effecta est.

In hac insuper insula dicunt reconditum fuisse illum thesa-  
rum desiderabilem, quem multis periculis incursis adeptus est  
Jason ille nobilis Graecus, aureum videlicet vellus. Verum tamen  
hoc ex antiquorum dictis non accepi, sed in libellulis militum pe-  
rigrinorum id reperi, qui solum propter quaedam consonantia no-  
minum aestimant factum in Rhodo, quod est factum in Colchide.  
Nam Rhodus alio nomine dicitur Cholos, et quia aureum vellus

